

Leectio iy.**Serm. ccc. de Sanctis.**

Maria vero quando e contra ait, quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco, inquirendo dixit, non desperando. Dum interrogavit, non de promissione dubitavit. O vere gratia plena! Sic est enim ab Angelo salutata: Ave gratia plena. Quis hanc explicet gratiam? quis huic gratiae gratias agendo sufficiat? Fit homo, et per liberum arbitrium perit homo, et invenitur homo factus, qui fecit, ne periret quem fecit. In principio Verbum Deus apud Deum, per quod omnia facta sunt, fit caro: Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Caro fit Verbum, sed caro accedit ad Verbum, non perit in carne Verbum. O gratia! ut hoc haberemus, quid digni eramus? **Te Deum. 17.**

In Laud. fit Commem. SS. Primi et Feliciani, ut in Brev. 471.

DIE XV. JUNII.

**S. Germanæ Cousin
Virginis. Duplex.**

**Omnia de Communi Vir-
ginum [122] præter seq.**

Oratio.

Deus humilium celsitudo, qui beatam Germanam Virginem tuam caritatis et patientiae decore excellere disposuisti: ejus meritis et intercessione concede; ut crucem jugiter ferentes, te semper diligere valeamus. Per Dominum.

**In j. Nocturno, Lectiones
de Scriptura occurrente.**

In II. Nocturno.

Leectio iy.

Ermána Cousin Pibraci, quod oppidum est Tolosanae diocesis, humili loco nata, ab ipsa pene infántia gravibus aerumnis fuit obnoxia. Cum enim manca esset, et strumis infecta, statim post obitum matris in novercae odium incidit, ejusque opera de paterna domo ejecta et custodiendis gregibus addicta, solo pane et aqua victitans, et super stramen aut aridos palmites in ipsa pecudum caula somnum carpens, vitam in summa egestate rerumque omnium inopia toleravit. Hæc et alia, quibus quotidie premebatur, frigoris, æstus et imbrium incommoda, quin etiam domesticorum con-

vicia et insectationes, forti semper animo, et ore ad hilaritatem composito, non solum patientissime tulit, sed majora pati excogitavit, ut conformis fieret imagini Filii Dei, quem unice toto cordis affectu dilexit.

R. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam: * Et deducet mirabiliter dextera tua. **V.** Specie tua et pulchritudine tua, intende, prospere procede, et regna. — Et deducet.

Leectio v.

Sive enim gregem ad pasqua, sive in arvis stamina e colo duceret, mente et cogitatione in Deum defixa, assiduas fundebat preces, et positus humi genibus ante crucis signum, ardentissimi amoris æstus rerum cœlestium contemplatione temperabat. Quotidie templum adire, sacrificio Missæ interesse, et singulis diebus festis se divinæ mensæ pabulo reficere in more habuit. Deiparam Virginem singulari religione coluit, eique frequentia exhibuit obsequii et pietatis officia. Caritate erga omnes affecta, pueros et

puellas christianæ fidei mysteriis erudire, eorumque animos ad virtutem et rectam vivendi rationem informare, egentium inopiæ subvenire consuevit, detracto etiam sibi panis frustulo, quo unice vescebatur. Castitatis vero et innocentiae laudem tantam promeruit, ut ad mortem usque illibatam servaverit.

R. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: * Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. **V.** Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam. — Propterea.

Leectio vij.

Hanc famulae suæ occultam sanctitatem Deus, editis e cœlo signis, mirabiliter declaravit. Nam et fluvium aquis exundantem, dum Pibracense templum peteret, Germana fixo gradu sapius transivit, et panem pauperibus erogandum, ut novercam lateret, hiberno tempore in flores convertit. Virtutibus et prodigiis illustrata, ad cœlestis Agni nuptias tandem inopinato exitu emigravit, annum agens secundum supra vigésimum. Mortales Vir-

ginis exúviæ, anno quadragésimo et ultra postquam e vita decésserat, incorruptæ et integræ, recentibusque conspersæ flóribus repértæ sunt. Huic prodígio ália multa, per annos ferme ducéntos, divína virtúte ad túmulum júgiter patrâta, mirácula accessérunt, quæ innocéntis puéllæ famam et nomen longe latéque propagárunť. Quibus permótuſ Pius nonus Póntifex máximus, virtútibus et miráculis rite probátis, eámdem beatárum Vírginum fastis primum ascripsit. Subínde vero novis fulgéntem prodígiis idem Póntifex anno millésimo octingéntésimo sexagésimo séptimo, ea ipsa die qua sæculária Apostólorum Príncipum solémnia agebántur, Sanctórum albo accénsuit.

℞. Afferéntur. [133]

In III. Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Léctio vij. Cap. xij. f

IN illo témpore : Dixit Iesus discíplis suis parábolam hanc : Símile est regnum cœlórum thesáuro abscondito in agro. Et réliqua.

Homília S. Gregórii Papæ Homil. xj. in Evangelia.

Cœlórum regnum, fratres caríssimi, idcirco terrénis rebus símile dicitur, ut ex his quæ ánimus novit, surgat ad incógnita quæ non novit : quátenus exémplo visibílium se ad invisibília rápiat, et per ea, quæ usu dídicit, quasi confricátus incaléscat : ut per hoc, quod scit notum diligere, discat et incógnita amare. Ecce enim cœlórum regnum thesáuro abscondito in agro comparátur : quem qui ínvenit homo abscondit, et præ gáudio illíus vadit, et vendit univérſa, quæ habet, et emit agrum illum.

℞. Hæc est Virgo sapiensquam Dóminus vigilántem invénit, quæ accéptis lampádibus sumpsit secum óleum : * Et veniénte Dómino, introívit cum eo ad núptias. ℞. Média nocte clamor factus est, Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. — Et.

Léctio vij.

QUA in re hoc quoque notándum est, quod inventus thesáurus absconditur, ut servétur : quia stúdiu cœléstis desidérii a

malignis spirítibus custodíre non súfficit, qui hoc ab humánis láudibus non abscondit. In præſénti ét enim vita, quasi in via sumus, qua ad pátriam pèrgimus. Maligni autem spirítus iter nostrum quasi quidam latrúnculi obsident. Deprædári ergo desíderat, qui thesáurum públice portat in via. Hoc autem dico, non ut próximi ópera nostra bona non vídeant, cum scriptum sit: Videant ópera vestra bona, et gloríficent Patrem vestrum, qui in cœlis est : sed ut per hoc, quod ágimus, laudes extérius non quærámus. Sic autem sit opus in público, quátenus inténtio máneat in occulto : ut et de bono ópere próximis præbeámus exémpulum, et tamen per intentiónem, qua Deo soli placére quærimus, semper optémus secrétum.

℞. Média nocte clamor factus est : * Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. ℞. Prudéntes Vírgines aptáte vestras lámpades. — Ecce. Glória. Ecce.

Léctio jr.

Thesáurus autem cœléste est desidérium : ager vero, in quo thesáurus

absconditur, disciplína stúdií cœléstis. Quem profécto agrum vënditis ómnibus cómparat, qui voluptátibus carnis renúntians, cuncta sua terréna desidéria per disciplína cœléstis custódiám calcat : ut nihil jam, quod caro blandítur, líbeat ; nihil quod carnálem vitam trucidat, spirítus perhorrescat.

Te Deum laudámus. 18.

DIE XVI. JUNII.

S. Joannis Francisci Regis

Confess. Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont. [97] præter sequentia. (m. t. v.)

Oratio.

DEus, qui ad plúrimos pro salúte animárum perferéndos labóres beatum Joánnem Franciscum Confessórem tuum mirábili caritáte, et invícta paciéntia decorásti : concéde propítius, ut ejus exémpulis instrúcti, et intercessiόνibus adjúti, æternæ vitæ præmia consequámur. Per Dóminum nostrum.

In j. Nocturno, Lectio-nes de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio I^a.

JOannes Franciscus Regis, nóbili gène-
re natus in oppí-
dulo Narbonénsis Gálliae,
cui nomen Fonscoopér-
tus, exímiae sanctitátis a
téneris annis indícia præ-
buit. In eo jam tum elu-
xére mira morum inno-
céntia, flagrans oratiónis
stúdiu, pudor, et modé-
stia singularis. Societátem
Jesu ingræssus Tolósæ an-
no ætátis decimonóno,
humilitáte, obediéntia, ca-
ritáte, ódio sui, ceterisque
vitæ religiósæ virtútibus
excélluit. Absolútis stú-
diis, totum se procurándæ
animárum salúti pénitus
devóvit. Asperos Viva-
riénsium, Velaunórum, et
Forénsium montes, et in-
géntes Helviórum tractus,
glácie nivibusque fere
perpétuis hórridos, eo-
rúmque colónos inscítia,
rusticitáte, barbárie in-
tractábiles suscepit exco-
léndos, eo succéssu, ut
innumerábiles hómines,
aut Calviniana lue infé-
ctos, aut pérditis móribus
corrúptos, ad cathólicam
fidem et ad christíanam
pietátem tradúxerit.

R. Honéstum fecit illum

Dóminus, et custodívit
eum ab inimícis, et a se-
ductóribus tutávit illum :

* Et dedit illi claritátem
ætérrnam. **V.** Justum de-
dúxit Dóminus per vias
rectas, et osténdit illi re-
gnum Dei. — Et dedit.

Lectio II^a.

CAmpéstribus missióni-
bus hibérno témpore
perfúctus, æstívo rever-
tebátur Anícium, ibique
in nosocomiis et in carcé-
ribus, in privátis ædibus,
in cómpitis, ac templis
omne hóminu genús,
ómnibus ómnia factus sub-
levábat. Páuperum gre-
ges corrogátis úndique
subsídiis, præsértim cum
sæviret fames, multipli-
cáto étiam non semel per
miráculu fruménto, sus-
tentábat, unde illi Patris
páuperu cognómen ín-
ditu fuit. In flagitiósis
hóminibus, et pérditis
præsértim muliérculis, e
vitiórum cœno educéndis,
vix credibile est quot
probra ludíbriaque pertú-
lerit, erécto semper et
álacri vultu impertérrit-
us, licet gládiis júgulo
sæpe admóti, álapis ori
impáctis et fústibus cór-
pori. Grassánte peste, ín-
fírmos eo morbo laborán-

tessédulo invísens, ardén-
tirescibat caritáte. Erga
álios blandus ac benéfi-
cus, in se ipsum sæviébat
acérrime, ásperis cilíciis,
férreis caténis, cruéntis
flagellatióibus, somnum
bréviter in nuda tábula,
aut humi carpens, semper
abstémius, vilissimóque
semper victitans cibo, et
ádeo ténui, ut arcéndæ
morti pótius, quam sus-
tentándæ vitæ suffíce-
ret.

R. Amávit eum Dómi-
nus, et ornávit eum : sto-
lam glóriæ induit eum,
* Et ad portas paradísi
coronávit eum. **V.** Induit
eum Dóminus lorícám fi-
dei, et ornávit eum. — Et
ad portas.

Lectio III^a.

DIvino amóre sic erat
incénsus, ut illum
unum spiráre, loqui, cogi-
táre viderétur. Plures no-
ctis horas oratióni dabat,
cœlestibus áffluens delí-
ciis, et extra se sæpe ra-
ptus. Rem divínam ea
ánimi attentióne, eo vul-
tus ardóre faciébat, ut sa-
crum, quo effervescébat,
ignem étiam in astántes
diffúnderet. Miráculis aliis-
que donis supernaturá-
libus mire cláruit. Tan-

dem vocátus ad præmia
labórum, in Viennénsis
diocécis pago, cui nomen
est Lalovésus, corréptus
letháli morbo ex labóri-
bus contrácto, cum sævi-
ret hiems frigidíssima,
cœlestibus recreátus illu-
stratióibus, ad ætérrna
gáudia invitátus, spiri-
tum Creatóri réddidit
anno millésimo sexcenté-
simo quadragésimo, die
trigésima prima Decém-
bris, vitæ suæ quadragé-
simo quarto. Ejus sepúl-
crum incredíbili populó-
rum per aspérrimos mon-
tes úndique confluentium
concúrsu, ob sanctitátis
et miraculórum famam,
quæ máxime percrebre-
scébat, summa devotióne
est frequentátum. Quibus
ómnibus permótu Cle-
mens undécimus Póntifex
máximus Joánnem Fran-
ciscum Beatórum, Cle-
mens vero duodécimus
Sanctórum fastis solémni
ritu ascrípsit, die décima
sexta Júnii ejúsdem cele-
brándæ festivitáti a Be-
nedícto decimoquárto as-
signáta.

R. Iste homo. [105]

In iij. Nocturno, Homilia.
Sancti Evangelii. de Com-
muni. [108]

DIE XXV. JUNII.

S. Gallicani

Martyris. Duplex.

Omnia de Comm. unius Martyris [29] præter sequentia.

Oratio.

DEus, qui beátum Gallicánum Mártirem ad tui cognitióem mirabiliter perduxísti, et per eum novo Ecclésiám tuam caritátis exémplo illustráre dignátus es : concéde propítius, ut ejúsdem précibus et imitatióne, promíssa misericórdibus præmia consequámur. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.



Allicánus, vir consularis et triumpháli honóre claríssimus, sua virtúte et militáriglória Constantíni Augústi sibi grátiam conciliávit. Magis autem quæ Dei sunt quærens, a sanctis Joánne et Paulo cœlesti luce perfúsus, et Evangélii doctrína eruditus, Jesu Christi fidem ore simul atque ópere profitéri cœpit. Nam cum sancto Hilarino ad Ostia Tiberína secédens, peregrinórum

atque infirmórum curæ et servitúti se totum addixit: cujus rei fama toto orbe divulgáta, multi úndique illuc consluéntes vidébant virum ex patrítio et cónsule lavántem páuperum pedes, ponéntem mensam, aquam mánibus effundéntem, languéntibus sollícite ministrántem; dénique tamquam Christo ipsi, mínimis ejus, scilicet mendicis et peregrínis, officia étiam humíllima exhibéntem.

✠. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ✠. Descendítque cum illo in fóveam : et in vínculis non derelíquit eum. — Et dedit.

Lectio v.

HIS misericórdiæ opéribus, quæ frátribus exhibuit, Patris cœlestis misericórdiam proméritus est, et passióne Christo Fílio Dei consociári. Cum enim impérium impius apóstata Juliánus adeptus esset, Gallicánus ex illa misericórdiæ sede, et páuperum ac peregrinórum hospítio pulsus Alexandríam perréxit,

ubi eum Rauciánus judex sacrificáre dæmóniis, id est ethnicórum diis, imperávit. Verum Christi miles júdicis minas contémnens, nec curans illécebras, nullum honórem idólis Géntium, tamquam mórtuis simulácris, sed Deo vivo tribuéndum docens, torméntis et morti se parátum exhibuit. Itaque gládio percússus vitam páuperum servítio nóbilem glorióso martyrio consummávit.

✠. Desidérium animæ ejus tribuísti ei Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ✠. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus coronam de lapide pretióso. — Et.

Ex Oratióne sancti Gregórii Nysséni. *Append. Grets. p. 237. sive tom. 3. oper. S. Gregorii.*

Lectio vi.

FRange esuriénti panem tuum, et egénos sine tecto induc in domum tuam. Multam nobis hoc tempus affert nudórum, vagorúmque cópiam. Hóspites exsulésque non desunt; ubique licet proténsas opem implorán-

tium manus aspícere. His aer sub dio tectum præbet. Pórticus, et bívia, et partes fori magis desértæ sunt hospítia : nycticóracum, et noctuárum more in cavérnis látitant. Pandísis, attritis et lacerátis tegúntur indumentis. Agricultúræ fructus est illis miserántium ánimi benignitas. Cibus, si quid ab accedénte quópiam impetráverint; pótió eadem, quæ brutis animántibus, nimirum fontes. Vagam et agréstem tradúcunt vitam, calamitátibus et necessitáte compúlsi. His necessariá víctui suppédita tu, qui jejúnas. Erga fratres calamitósos benignus esto; quod ventri súbtrahis, tríbue esuriénti.

✠. Stola. [37]

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangélii secundum Lucam.

Lectio vii.

Cap. x.

IN illo témpore : Suscípiens Jesus dixit : Homo quidam descendébat ab Jerúsalem in Jéricho, et incidit in latrónes, qui étiam despoliáverunt eum, et plagis impósisit abiérunt, semivívo relícto. Et relíqua.

Homilia sancti Gregorii Nazianzeni.

Ex Orat. xvj. tom. j.



Urgemur itaque per misericordiae officia, labesque et sordes animae extergamus, ac dealbemur alii ut lana, alii ut nix, pro misericordiae videlicet proportione; atque ut formidabilius aliquid dicam, si nulla est tibi confractio, neque livor, nec plaga tumens, nec ulla animae lepra, aut significationis tactus, aut candor, quae a lege quidem exigue curabantur, medicam autem Christi manum requirunt; at certe eum, qui salutis nostrae causa vulneribus, et languore affectus est, venerare. Veneraberis autem, si te Christi membro benignum atque humanum praebes. Quod si te fortasse animarum nostrarum praedo et tyrannus, vel ab Jerusalem in Jericho descendentem, vel alibi uspiam inermem et imparatum offensus ita sauciavit, ut ne medicinam quidem exquiras, heu plagam sane gravissimam, calamitatemque altissime grassantem!

✠. Corona aurea super

caput ejus, * Expressa signo sanctitatis, gloria honoris, et opus fortitudinis. ✠. Quoniam praeveneristi eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. — Expressa signo.

Lectio viij.

AT mihi quidem hoc quoque nomine necessaria esse benignitas et misericordia erga pauperes videtur, ut iis qui de illis ita sentiunt, os obstruamus, nec inanibus verbis cedamus, crudelitatis legem adversus nosmetipsos sancientes. Ceterum omnium maxime divino mandato et exemplo moneamur. Quodnam porro hoc mandatum est? At videte, quaeso, quam constans sit atque sincerum. Neque enim hominibus Spiritu sancto afflatis sat fuit semel atque iterum de pauperibus sermonem habuisse; nec quidam dumtaxat de his rebus verba fecerunt, reliqui minime; aut alii copiosius, alii parcius, velut de re non ita magna, nec admodum necessaria: verum et omnes in unum versum, et sedulo quisque

vel primo, vel in primis ad eam rem nos hortantur, nunc admonentes, nunc comminantes, nunc exprobrantes, nonnunquam etiam eos, qui virtutis hujus munere funguntur, laudibus efferentes; nimirum, ut per admonitionis assiduitatem eo nos adducant, ut hoc mandatum exsequamur.

✠. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nomine sanguinem suum fudit:

* Qui minas iudicium non timuit, nec terrena dignitatis gloriam quaesivit, sed ad caelestia regna pervenit. ✠. Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. — Qui minas. Gloria Patri. Qui minas.

Lectio ix.

VERUM dixerit fortasse aliquis: Haec pro pauperibus illis et inopibus dicta sunt, qui injuria afficiuntur. Sit ita sane; nam de hoc litem nullam movebo. At hoc quoque tamen ad colenda humanitatis officia te exstimulet. Quorum enim, si quid injuriae eis inferatur, tanta ratio habetur, iisdem certe beneficio affectis amplior et uberior est

gratia. Nam si qui pauperem despicit, eum a quo factus est ad iram concitat; non dubium est, quin opificem honore afficiat, qui ipsius opus completitur. Rursus cum audis: Pauper et dives occurrerunt sibi, utrumque autem creavit Dominus, ne illum quidem pauperem, hunc autem divitem ab eo creatum intelligas, ex eoque in pauperem insurgendi ansam accipias. Nam Dei figmentum uterque est, tametsi, quod ad res externas attinet, dispari conditione sint. Hoc te ad commiserationem et caritatem inflcat.

Te Deum. 18.

DIE XXIX. JUNII.

Commemor. omnium SS. Apostolorum.

In Festo

SS. Apost. Petri et Pauli. IN I. VESPERIS.

Añã. Tradent enim vos in concilio, et in synagogis suis flagellabunt vos, et ante reges et praesides ducemini propter me in testimonium illis, et Gentibus.

✠. Annuntiaverunt opera Dei. ✠. Et facta ejus intellexerunt.

Oratio.

DEus, qui nos per beátos Apóstolos tuos ad agnitióem tui nóminis venire tribuísti : da nobis eórum glóriam sempitérnam et proficiéndo celebráre, et celebrándo proficere. Per Dóminum.

Alia Oratio.

DEus, qui nos ánnua Apostolórum tuórum commemoratióne lætificas : præsta quæsumus, ut quorum gaudemus méritis, instruámur exémplicis. Per Dóminum nostrum.

AD LAUDES.

Añã. Vos qui reliquistis ómnia, et secúti estis me, céntuplum accipiétis, et vitam ætérnam possidébítis.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. **℟.** Et in fines orbis terræ verba eórum.

IN II. VESPERIS.

Añã. Estóte fortes in bello, et pugnáte cum antiquo serpénte : et accipiétis regnum ætérnum, allelúia.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. **℟.** Et in fines orbis terræ verba eórum.

Alibi ex decr. Pii PP. VI. die 18. Maii 1798. pro aliquibus locis et Resp. S. R. C. d. 18. Oct. 1818. sumuntur sequentes Commemorationes.

IN I. VESPERIS.

Añã. In hoc cognóscet omnes, quia discipuli mei estis, si dilectióem habuéritis ad invicem.

℣. Nimis honoráti sunt amici tui Deus. **℟.** Nimis confortátus est principátus eórum.

Oratio.

EXáudi nos Deus salutaris noster : et ómnium sanctorum Apostolórum tuórum tuére præsídiis, quorum donásti fidéles esse doctrinis. Qui vivis.

AD LAUDES.

Añã. Vos qui secúti estis me, sedébitis super sedes, iudicántes duódecim tribus Israel.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. **℟.** Et in fines orbis terræ verba eórum.

IN II. VESPERIS.

Añã. Vos amici mei estis, si fecéritis quæ ego præcipio vobis, dicit Dóminus.

℣. Gloriósus in sanctis suis, fáciens mirabilia.

℟. Hic Deus meus, et glorificábo eum.

DIE III. JULII.

S. Martialis

Episc. et Conf. Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont. [70] præter sequ.

Oratio.

OMnípotens sempitérne Deus, qui beátum Martiálem Confessórem tuum atque Pontíficem Ecclesiæ tuæ sanctæ præesse voluísti : quæsumus, ut ejus suffragántibus méritis, pietátis tuæ grátiam largiáris. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commem. Octavæ SS. Apostolorum Petri et Pauli. 568.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio I.

Martialis, unus de septuaginta Christi discipulis, ac puer ille fuisse tráditur, qui quinque panes hordeáceos et duos pisces attulisse in Evangélio memorátur. Ex Oriente cum sancto Petro Apóstolo Romam venit, et ab eodem in Gállias causa propagándi Evangélii missus, Lemovicenses, Tolosános,

Burdigalenses, Cadurcenses et Aquitános, atque álios pópulos cristiánam religióem edócuit; unde Galliárum est dictus Apóstolus. Ad móto báculo sancti Petri, quem ab eo Romæ accéperat, mórtuum redúxit in vitam. Tandem post multa præclára sanctitátis et doctrinæ ópera in cælum migrávit.

℟. Inveni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. **℣.** Nichil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitátis non nocébit ei. — Manus.

Sermo sancti Máximi Episcopi. Ex Homilia lix. de S. Eusebio, ij.

Lectio II.

Beati patris Martialis mérita jam in tuto pósito securi magnificémus : qui gubernáculum fidei viríliter tenens, anchoram spei tranquilla jam in statióne compósuit, et plenam cælestibus divitiis et ætérnis mércibus navem optáto in littore collocávit : qui contra omnes adversários scutum timóris Dei támdiu infatigábiliter tenuit, donec ad victóriam perveniret.

Quid enim fuit totus vitæ illius cursus, nisi unius cum vigili hoste conflictus?

℞. Pósui adiutorium super potentem, et exaltavi electum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliabitur ei. ℣. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. — Manus.

Lectio ij.

Quantis hic cæcis a via veritatis errantibus, et de summa jam in profundum rupependentibus, amissum reddidit visum, et illum, quo Christus videretur, reparavit intuitum? Quantorum auribus surdis, et infidelitatis obturatione damnatis, ad percipiendam vocem cælestium mandatorum, pretiosum infudit auditum, ut vocanti Deo ad misericordiam responderent per obedientiam? Quantos intrinsecus vulneratos, angelici oris arte et orationum, ab infirmitate curavit?

℞. Iste est. [78]

In *ij. Nocturno, Homil.*
Ut ignorantiam. de *Communi ij. loco.* [88]

In *Laudibus Commem. Octavæ.* 568.

DIE IV. JULII.

S. Irenæi

Episc. et Mart. Duplex.
Omnia de Comm. unius
Mart. [29] præter seq.

Oratio.

DEus, qui beato Irenæo Martyri tuo atque Pontifici tribuisti, ut et veritate doctrinæ expugnaret hæreses, et pacem Ecclesiæ feliciter confirmaret : da quæsumus plebi tuæ in sancta religione constantiam, et pacem tuam nostris concede temporibus. Per Dominum nostrum.

Commem. Oct. SS. Apostolorum. 568.

In I. Nocturno.

De Epistola secunda beati Pauli Apostoli ad Timotheum.

Lectio j. Cap. ij. c

Sollicite cura te ipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis : profana autem, et vaniloquia devita : multum enim proficiunt ad impietatem : et sermo eorum ut cancer serpit : ex quibus est Hymenæus, et Philétus, qui a veritate exciderunt, dicentes resurrectionem esse jam fa-

ctam, et subvertérunt quorundam fidem. Sed firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc : Cognovit Dominus, qui sunt ejus : et discédant ab iniquitate omnis qui nóminat nomen Domini. In magna autem domo non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia : et quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam. Si quis ergo emundaverit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, et utile Domino, ad omne opus bonum paratum. Juvenilia autem desideria fuge, sectare vero justitiam, fidem, spem, caritatem, et pacem cum iis, qui invocant Dominum de corde puro. Stultas autem, et sine disciplina quæstiones devita : sciens quia generant lites. Servum autem Domini non oportet litigare : sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum modestia corripientem eos, qui resistunt veritati : nequando Deus det illis poenitentiam ad cognoscendam veritatem, ut resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi te-

nentur ad ipsius voluntatem.

℞. Iste sanctus pro lege Dei sui certavit usque ad mortem, et a verbis impiorum non timuit : * Fundatus enim erat supra firmam petram. ℣. Iste est qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad cælestia regna. — Fundatus.

Lectio ij.

Cap. iij.

HOC autem scito, quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa : erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemii, parentibus non obediētes, ingrati, scelēsti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, protēvi, tumidi, et voluptatum amatores magis quam Dei : habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. Et hos devita : ex his enim sunt, qui penetrant domos, et captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis desideriiis : semper discēntes, et nunquam ad scientiam veritatis perveniētes. Quemadmodum autem Jannes, et Mambres

restiterunt Móysi : ita et hi resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobri circa fidem. Sed ultra non proficient : insipientia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut et illorum fuit. Tu autem assécutus es meam doctrinam, institutionem, propositum, fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam, persecutiones, passionis : qualia mihi facta sunt Antiochiæ, Iconii, et Lystris : quales persecutiones sustinui, et ex omnibus eripuit me Dominus. Et omnes, qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur. Mali autem homines, et seductores proficient in pejus, errantes, et in errorem mittentes.

✠. Justus germinabit sicut lilium : * Et florébit in ætérnum ante Dóminum.
✠. Plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri. — Et florébit.

Lectio iij.

TU vero pérmane in iis, quæ didicisti, et credda sunt tibi : sciens a quo didiceris : et quia ab infántia sacras litteras nosti, quæ te possunt instruire ad salutem, per fidem, quæ

est in Christo Jesu. Omnis Scriptúra divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia : ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus. Testificor coram Deo et Jesu Christo, qui iudicaturus est vivos, et mortuos, per adventum ipsius, et regnum ejus : prædica verbum, in sta opportune, importune : argue, obsecra, increpa in omni patientia, et doctrina. Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros, prurientes auribus, et a veritate quidem auditum avértent, ad fabulas autem convertentur. Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistæ, ministerium tuum imple.

✠. Iste cognóvit. [34]

In II. Nocturno.

Lectio iv.

IRENÆUS non longe ab urbe Smyrna in Asia proconsulari natus, jam inde a pueris sese Polycárpo Joánnis Evangelistæ discipulo, eidemque Episcopo Smyr-

næorum tradiderat in disciplinam. Hoc tam excellenti magistro progressus in doctrina præceptisque christiænæ religionis insignes fecit. Polycárpo in cœlum martyrii glória sublato, etsi erat Irenæus in sacris litteris egregie versatus, quod tamen incredibili stúdio flagraret discendi, quæ dogmata depósti loco custodienda ceteri accepissent, quos Apóstoli instituerant; horum quam potuit plures convenit, quæque ab iisdem audivit, mémori mente tenuit, ea deinceps opportune adversus hæreses allaturus, quas cum vidéret ingenti populi christiáni damno látius in dies manare, diligenter copiosèque refellere cogitárat. In Gállias inde profectus a Photino Episcopo Præsbyter est constitutus Ecclesiæ Lugdunensis. Quod munus sic laborando in verbo et doctrina gessit, ut (testibus sanctis Martyribus, qui Marco Aurélio imperatore strenue pro vera pietate certarant) æmulationem sese præstiterit testaménti Christi.

✠. Honéstum fecit illum

Dóminus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritatem ætérnam. ✠. Descenditque cum illo in fóveam : et in vinculis non dereliquit eum. — Et dedit.

Lectio v.

CUM Mártires ipsi, ceterisque Lugdunensis de pace Ecclesiárum Asiæ, quam Montanistárum factio turbárat, solliciti cum primis essent, Irenæum, cujus esse potissimum habendam rationem prædicabant, unum omnium máxime delegérunt, quem Romam ad Eleuthérium Pontíficem mitterent rogátum, ut novis sectariis auctoritate sedis apostólicæ reprobátis, discordiarum causa tollerétur. Jam Photinus Episcopus Martyr decésserat : huic Irenæus cum successisset, tam feliciter munus obiit episcopátus, ut sapientia, oratione, exemploque suo non modo brevi cives Lugdunenses omnes, sed multos etiam aliarum Gállia urbium incolas superstitionem atque errorem abjecisse, dedissèque christiænæ militiæ nómína viderit. Interea, cum de

die celebrandi Páschatis orta esset conténtio, ac Victor Románus Póntifex Asiános Episcopos ab collégis réliquis fere ómnibus dissidentes aut prohibuisset communióne Sacrórum, aut prohibére minátus esset, eum Irenæus, sequéster pacis, decénter mónuit, exemplisque usus Pontificum superiorum indúxit, ut ne tot Ecclésias ob ritum, quem a majóribus accepisse se dicerent, avélli ab unitáte cathólica paterétur.

R. Desidérium animæ ejus tribuisti ei Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. **V.** Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuisti in cápite ejus corónam de lápide pretiósó. — Et.

Lectio vij.

Multa scripsit, quæ Eusebius Cæsariensis, et sanctus Hierónymus mémorant, quorúmque pars magna intércidit injúria téporum. Exstant ejus advérsus hæreses libri quinque anno circiter centésimo octogésimo perscripti, dum adhuc Eleuthérius rem christiá-

nam públicam géreret. In tértio libro vir Dei ab iis edóctus, quos auditóres constat fuisse Apostolórum, grate in primis atque præclárum de Romána Ecclésia, deque illius Episcopórum successióne, divínæ traditiónis fidéli, perpétua, certíssima custóde testimónium dixit. Atque ad hanc, dixit, Ecclésiám propter potiórem principalitátem necesse est omnem conveníre Ecclésiám, hoc est eos qui sunt úndique fidéles. Postremo una cum aliis prope innumerábilibus, quos ipse ad veram fidem frugémque perdúxerat, martyrio coronátus migrávit in cælum, anno salutis ducentésimo secúndo, quo témpore Septimius Sevérus Augústus eos omnes, qui constánter in colénda christiána religióne persistáre voluissent, in summum cruciátum dari, atque intérfici imperáverat.

R. Stola. [37]

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangélii secundum Joánnem.

Lectio vij. Cap. v. vers. xj.

In illo témpore : Dixit Jesus Pharisæis : Ego sum pastor bonus. Bonus

pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Episcopi.

Serm. cxxxvij. de Verbis Domini.



Udívimus Dóminum Jesum commendántem nobis boni pastóris officium. In qua commendatióne ad mónuít nos útique, ut intélligi datur, bonos esse pastóres; et tamen ne intélligerétur perverso modo multitúdo pastórum : Ego sum, inquit, Pastor bonus : et unde sit pastor bonus, consequénter osténdit : Pastor, inquit, bonus ánimam suam ponit pro óvibus. Pastor ergo bonus Christus. Quid Petrus? nonne bonus pastor? nonne et ipse ánimam suam pro óvibus pósuit? Quid Paulus? Quid céteri Apóstoli? Quid eórum témpora consequéntes beáti Episcopi Mártyres? nonne omnes pastóres boni?

R. Coróna áurea super caput ejus, * Exprésa signo sanctitátis, glória honoris, et opus fortitúdinis.

V. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus

dulcédinis, posuisti in cápite ejus corónam de lápide pretiósó. — Exprésa.

Lectio vij.

Omnes ergo isti pastóres boni, non solum quia sánguinem fuderunt, sed quia pro óvibus fuderunt. Non enim fuderunt elatióne, sed caritáte. Quomodo autem habet vel exíguam caritátem, qui étiam convíctus non amat unitátem? Hanc Dóminus unitátem comméndans pastóribus bonis, nóluit multos appelláre pastóres. Neque enim, ut dixi jam, non erat pastor bonus Petrus, Paulus, Apóstoli céteri, et posterióres sancti Episcopi. Omnes hi pastóres boni; et tamen ille pastóribus bonis non comméndávit pastóres bonos, sed pastórem bonum.

R. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit : * Qui minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsiuit, sed ad cœléstia regna pervénit. **V.** Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Qui minas. **G**loria Patri. Qui minas.

Lectio ix.

Quid est ergo, quod pastóribus bonis comméndas unum pastórem, nisi quia in uno pastóre doces unitátem? Et expónit apértius ipse Dóminus per ministérium nostrum ex ipso Evangélio commémorans caritátem vestram, et dicens (audíte quid commendávit): Ego sum Pastor bonus, dixi: quia omnes céteri, omnes pastóres boni membra mea sunt. Unum caput, unum corpus, unus Christus. Ergo et Pastor pastórum, et pastóres Pastóris, et oves cum pastóribus sub Pastóre. Mérito Christus in se habens omnes pastóres bonos, unum commédat, dicens: Ego sum, unus sum, mecum omnes in unitáte unum sunt. Qui extra me pascit, contra me pascit. Qui mecum non colligit, spargit.

Te Deum laudámus. 18.

DIE V. JULII.

S. Michaelis de Sanctis,
Confessoris. Duplex.

Omnia de Comm. Conf.
non Pont. [97] præter sequentia. (m. t. v.)

Oratio.

Miséricors Deus, qui sanctum Michaélem Confessórem tuum morum innocéntia et mirábili caritáte præstáre voluisti: concéde quæsumus, ut ejus intercessióne a víitiis liberáti, et igne tui amoris succénsi, ad te pervenire mereámur. Per Dóminum.

Commemoratio Octavæ
SS. Apostolorum. 568.

In j. Nocturno, Lectiones
de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio ib.

Michael de Sanctis, Vici in Hispania citeriøre piis et honestis paréntibus natus, mundum ántea contempsisse quam agnovisse visus est. Pene infans perpétuam virginitátem Deo vovit; cumque rei conscius pater nuptias illi per jocum proponeret, in lácrymas effúsus puer atque ad Deiparæ Virginitatis aram confúgiens, emissum votum fervéntius renovábat. Sexénis ad Sanctórum vestigia sectánda in Monsénii speluncam secéssit, in qua, dum patientis Christi mysteria in génua provolu-

tus piis sénsibus lacrymisque proséquitur, a patre repértus, domum redire coáctus est. Neque tamen de præconcépto severióriis vitæ propósito quidquam remisit. Unicum illi erat coeléstium desidérium, perpétua cum Deo consuetúdo, innocéntis vero carnis maceratio major quam ut ténera illa ætas ferre posse videretur. Nam ter in unaquaque hebdomada jejúnans, somnum super sarmentórum fásibus, saxo cápiti supposito, carpens, flagéllis in seipsum sævire, et étiam aliquándo corpusculum, sancti Francisci exémplo, in spinárum acérvum conjicere et cruentándum volutáre non dubitávit, quin tamen singulári Dei beneficio spinæ illæ puríssima membra attingerent, atque in mínimo offénderent. Quibus aliisque cruciátibus admirábili illi pœnitentiæ proludébat, quam póstea ad hóminum stupórem tantópere adáuxit.

✠. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimicis, et a seductóribus tutávit illum:

* Et dedit illi claritátem ætérnam. ✠. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit.

Lectio v.

Anno ætátis duodécimo nondum expléto solus et pedes egrédiens de domo et cognatióne sua, Barcinónam conténdit, ibique sanctíssimæ Trinitátis redemptiónis captivórum órdenem inter Calceátos amplexus, quamprimum per ætátem licuit solémnia vota nuncupávit. Paucis inde post ménsibus ad strictiorem Discalceatórum ejúsdem órdenis familiam se tráns tulit. In hac nova reguláris disciplinæ palæstra mirum est, quot quantisque virtútum incrementis étiam inter continuas studiórum exercitatiónes antea actæ vitæ sanctitátem cumuláverit. Tanto enim stúdio singulas institúti leges observábat, ut nullam ex eis præteriisse compértum fúerit. Virginitátem, quam quinquénis Deo vóverat, non modo inviolátam servávit, verum étiam præclaríssimo Dei múnere nunquam carnis illécebris al-

léctus est, neque in mente cogitationem ullam minus honestam habuit. Arcuissima præditus paupertate per plures annos neque cubiculum habuit neque pulvinar, ubi caput reclinaret. Christi mansuetudine indutus, cum omnibus patiens fuit et misericors; iis, qui sibi contumelias aut damnum intulerant, semper pro malo bonum reddidit. Invicta in adversis enituit fortitudine. Prudentissimus in aliorum regimine, sibi se iudicem acerrimum, reliquis vero humanissimum patrem exhibuit.

✠. Amaviteum Dominus, et ornavit eum: stolam gloriæ induit eum, * Et ad portas paradisi coronavit eum. ✠. Induit eum Dominus lorica fidei, et ornavit eum. — Et.

Lectio vj.

CUM Deum totis viribus diligeret, ab ipso maximis locupletari meruit charismatibus. Nam crebris et mirificis rapiebatur ecstasibus, quibus vel in sublime toto assurgēbat corpore, vel coelum ascendere videbatur, cum aut de Dei bonitate loqueretur,

aut Sacris operans calicem elevaret. Nec minori erga proximos caritate flagrabat, quos et privatis consiliis, et publicis concionibus, et assidua sacramenti poenitentiae administratione juvare nunquam pratermisit. Cum vero virtutes ejus non populi modo, sed viri principes admirarentur, ea tamen erat animi demissione, ut se demonibus ipsis deteriorem affirmaret. At humani generis Redemptor, cui exaltare humiles in deliciis est, hunc servum suum fidem peculiari voluit illustrare prodigio, quo ipse divini sui cordis mysticam commutationem cum corde illius inire dignatus est. Hoc itaque caritatis incendio decumbens, spiritum Deo reddidit Vallisoleti, die decima Aprilis anno millesimo sexcentesimo vigesimo quinto, ætatis suæ trigésimo tertio. Quem multis ante et post obitum miraculis clarum summus Pontifex Pius sextus Beatorum fastis ascripsit. Pius vero nonus Pontifex maximus, sacro Cardinalium aliorumque fere trecentorum

Antistitum Ecclesiæ et apostolicæ sedis jura strenue contra insidiantes hostes propugnantium senatu circumdatus, recurrente plausu Urbis et Orbis, sacro Pentecostes die octava Junii anni millesimi octingentesimi sexagesimi secundi, in Vaticana basilica illum novis fulgentem signis Sanctorum catalogo solemniter ritu accensuit.

✠. Iste homo. [105]

In iij. Nocturno, **Homilia. Virginitas. ut in Festo S. Aloisii Gonzagæ. 495. Commem. Oct. SS. Apostolorum in Laud. 568.**

DIE VII. JULII.

**S. Pulcheræ
Imperatricis Virginis.
Duplex.**

Omnia de Communi Virginum [122] præter seq. Oratio.

DEUS, qui beatam Pulcheriam Virginem tuam singulari castitatis prerogativa decorasti, quique illi, ad defendendam Ecclesiam tuam, summum fidei amorem tribuere voluisti: concede, ut ejus intercessione tibi puris mentibus inhaerentes, ab omnium ho-

stium insidiis misericorditer liberemur. Per Dominum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iij.



Lia Pulcheria Augusta, patre, avo, fratre, atque viro Romanorum imperatoribus maxime nobilis, profligatis sua presertim opera hæreticorum erroribus, et catholico dogmate circa Incarnationis mysterium, et divinam Maternitatem constituto multo nobilior, ab ipsa pueritia tanta sapientia divinitus prædita fuit, ut ii, quibus post Arcadii patris obitum imperii procuratio, dum Theodosius adolesceret, commissa fuerat, ejus arbitrato omnia facerent, essetque constans opinio, unius puellulæ virtute ac sapientia, quæ instare atque ingrere videbantur, pericula discussa, et felicitatem imperio constitutam. Domi assidua disciplina exactrix, eam vivendi formam induxit, ut illa jam non aula imperatorum, sed asceterium vulgo diceretur. Theodosium fratrem, Eudoxiam, quam